

CAPUT VIII.

Continet Objectiones, quæ ex Scriptura Sacra, contra Copernicanum Systema adferuntur, earumque Resolutiones.

Sunt alii, qui suas opiniones, auctoritate Scripturæ Sacræ palliare student, & ex ea immobilitatem Terræ, contra verò Solis mobilitatem probare nituntur.

I.

Obiectio
contra Terra
mobilitatem.

Objiciunt contra Terræ mobilitatem, communiter verba, supra cap. 1. citata Psal. 104. *Jehova fundavit terram supra bases suas, non dimovebitur in æternum.* Vel ut in aliis Bibliis sonant: *Fundavit Terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in secula seculi.* Item Ecclesiastæ cap. 1. *Terra autem in æternum stat.* Hebraicè *תָּבַי* id est, *permanet*: &c. Sed respondent Copernicæi, has & ejusmodi similes locutiones esse metaphoricæ, quas si velimus ita simpliciter intelligere, innumeræ absurditates aliæ etiam ex Sacris literis deduci possent. Scripturæ autem propositum non est, Systema Mundi, an Terra aut Sol locum centri teneat, inque illo alter eorum immobilis existat, explicare; Sed in Dei honorem operis ejus perfectionem, constantiam & incorruptibilitatem, hominibus notam facere. Quicumque igitur his verbis probare student, Scripturam naturalem Terræ cursum, vel diurnum improbare velle, ii demonstrent prius, quo loco Scriptura huic Terræ motui contradixerit & propugnatores ejus damnaverit? At nullibi! Ergò stabilitas Terræ hoc loco intelligenda de duratione vel consistentia aut perfectitudine ejus; Utpote in hoc sensu Esaias cap. 66. loquitur, dum inquit: *Sicut cæli novi & terra nova, quam ego facio stare coram me, dicit Dominus Deus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum.* Ex quibus verbis non concludendum, quod vel Cælum vel Terra immobilis existat, ac se non moveat, uti de semine Abraham non possumus concludere, homines stare nec se movere, quia statio ista de duratione & constantia solummodo intelligenda.

II.

Objiciunt contra Solis stabilitatem Psal. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendum viam: à summo cælo egressio ejus, nec est qui se abscondit à calore ejus.* Obiectio
contra Solis
stabilitatem.

Item Ecclesiastæ verba cap. 1: *Oritur Sol & occidit &c.* Verùm cum Scriptura Sacra nobis à Deo data non sit, ut ex ea philosophari discamus, vel ut homines Mathematicos & Physicos efficiat, sed ad salutem æternam instruat; Eapropter negligunt scopum Scripturæ, quotquot Geometricas & Astronomicas quæstiones ad ejus normam examinant; Scriptura enim loquitur de his rebus, quatenus apparent omnibus vulgò hominibus, parum curans proinde, quales res in se & revera sint; Minime Stellæ in firmamento lucentes, majora sint luminaria, quàm Luna, an non? Nihilominus tamen Lunam magnum *luminare* vocat, quia ob propinquitatem major omnibus stellis videtur, etsi vevera quævis stella Fixa etiam minima, multò major Lunâ sit. Sic homines quando in itinere ad Urbem aliquam appropinquant, & prima vice summitates turrium vident, deinde fortè viam aliquam profundiozem ingrediuntur, ne turres amplius prospicere possint, dicunt: *Turres descenderunt, occiderunt & sese absconderunt*: quando autem ex profunditate egrediuntur, dicunt: *Turres proveniunt, adscendunt seseque remonstrant*, quod tamen reverà non fit in turribus, sed tantummodo secundum apparentiam.

Scriptura
secundum
Captum
nostrum
loquitur.

Eodem modo cum ex angustiis, vallis alicujus emergimus, magnum sese campum aperire dicimus. Sic Christus Petro: *Duc in altum &c.* Non quasi stagnum hoc exiguum uno in loco altius fuisset quàm in alio. Sic *Solstitium* dicunt *Ptolemaici*, etsi negent stare Solem. Et Copernicani dicunt

cunt